



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XV. Harmonica Dei gubernatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

tiam debeat, cum imperanti animæ eum in modum corpus obtemperet.

XV. *Harmonica
Dei gubernatio.* Postquam te contemplatus fueris, ad integras nationes, & universum hominum genus, oculos circûfer. Linguæ diversissimæ, innumeris vocibus constantes, partim inter se similibus, partim dissimilibus, iisdem tamen ubique literis, non tibi manifestè Deum nationes dividentem designabunt, etsi Babylonicam confusionis turrim in sacra Scriptura non legeris? Perspice interiùs varia ingenia & mores nationum: attende ubique paupertatem divitiis oppositam, vitia virtuti, sapientiam stultitiæ, vires infirmitati, prospera adversis, nascentemque ex ea compugnantia, velut ex contrariis vocibus, suavem harmoniam, proprium Dei opus. Considera subitas conversiones rerumpublicarum, mirificas fortunarum vicissitudines, regnorum subitos ortus de nihilo, & præcipites occasus in nihilum. Dubitare non poteris, quin isthæc omnia à suprema mente dispensentur, ac regantur, licèt manum regentis

regentis non videas. Quamadmodum enim in mundo visibili, & in corpore humano, aptissima illa similitum, ac dissimilium compositio Deum auctorem ac rectorem pronuntiat: ita & in civilis mundi partibus populorum, ingeniorum, fortunarium, parium dispariumque, jucunda mistura. Ut æquè de mundorum trium harmonica modulatione dici possit, quod apud D. Augustinum legitur tomo 4. in carmine alterius scriptoris de mundi pulchritudine: *Rapidum tardo, & rata currens hac & hac vaganti: Statisque moventia, densis rara, magna parvis: Obscuris flammiferata, nigra luminosis: Intercidentia natis, nata nascituris: Medium extremis, medio illa, & ima summis, Concordant lege superna, lege dico veri: Vnum carnem modulantur, concinuntque in unum.*

XVI. *Ambulandum coram Deo.* Stabilissimum hoc Providentiæ Divinæ fundamentum meliùs claudere non possumus, quàm D. Anselmi verbis Profologii capite 4. *Gratias tibi, bone Domine, quia quod credidi te donante, sic intelligo te illuminante: ut si te esse*